

2

rificentiores titulos affectasse jampridem a Viris doctis observatum est. Pisaurenses neque in hoc cæteris concesserunt. En municipalis Ædilitas, Curulis appellatione insignita. Non desunt tamen in aliis Coloniais exempla. Aediles *Ariminenses*, *Curules* dictos fuisse testantur Veteres Inscriptiones Gruter pag. MXCI. 12. MXCII. 1. *Interamnates*, antiquum Marmor, quod primum a Fabretto Insc. Dom. Cap. IX. n. 160. mox in Gudii collectione vulgatum est pag. LXXIV. 4. & 5. & in Syntagm. Doniano Cl. II. 35. ; nec non aliud Fragmentum eundem fortasse *C. Dexium Ædilem Curulem* designans apud Gudium p. LXXXIV. 1. repetitum pag. CXLIII. 4. *Puteolanos*, lapis primum a Grutero, loco non indicato ubi existeret, pag. X. 2., deinde a Cl. Vignolio Clas. I. Insc. select. pag. 192. post disertation. de Columna Antonini editus. *Attidates*, alia Vetus Inscriptio apud Gruter p. CCCV. 1. repetita p. CCCCXLII. 10., quæ iterum auctior in Doniano Syntagm. prodit Cl. V. 171.

L . D . D . D . PVBLICE . Inscriptio vel aræ IOVI OPTIMO MAXIMO dicatæ insculpta fuit, vel basi Jovis Simulacrum sustinenti, quæ a M. Nevio Justo Pisaurensis Coloniae Ædili Curuli publico aliquo in loco collocata fuerit, quod singulares notæ L . D . D . D . *Locus Datus Decreto Decurionum* demonstrant. Quotiens enim publico in loco ponenda erat Inscriptio, sive sacra esset, sive profana, a Decurionibus ejusdem loci concessio erat impetranda. Occurrunt exempla & in aliis sacris Inscriptioibus apud Gruter pag. XXII. 4. XXXVI. 11. 15. XLIII. 10. XLVIII. 3. Gudium p. 1. 4. XVI. 6. XXV. 1. & Donium Cl. I. 34. 35. 136.

Sed quoniam de Jove agi captum est, ubi Templum illius fuerit, investigemus. Plura equidem Jovi Tempia posita fuisse a Pisaurenibus, facile mihi persuadeo; Precipuum vero, saltem dignitate, illud fuit, quod Q. Fulvius Flaccus Censor extruxit Anno Urbis DLXXX. cujus meminit Livius lib. XLI. Cap. 32. ; quem locum, quando alia præclara opera ab eodem Censore Pisauri facta memorat, in vulgatis editionibus corruptum, ex Mar. Donati, Car. Sigonii, Jo. Clerici castigationibus integrum hic recitabo. *Et alter ex iis (Censoribus) Fulvius Flaccus, nam Posthumius nihil, nisi Senatus Romani, Populiqve jussu, se locaturum ipsorum pecuniâ dicebat, Jovis Ædem Pisauri, & Fundis, & Pollentia: aquam etiam adducendam, & Pisauri viam silice sternendam, & sinuessa glareâ: in his & cloacam in fluvium circumducendam, & firum portibus,*